

plentur per clausulam motus proprii, ut est communis doctrina. Videtur autem mihi idem esse cum proportione dicendum de taciturnitate veritatis, quando talis concessio, etiam motu proprio facta, supponit postulationem aliquam et informationem impetrantis, quæ movet animum principis per modum informationis, licet non moveat per modum petitionis: tunc enim si informatio ita est diminuta in expressione veritatis, ut propterea moveat, et inducat voluntatem principis, quam non induceret si exprimeretur integra veritas, redditur concessio nulla, non tam ob subreptionem quam ob defectum consensus. Quod mihi videtur sensisse Pan. in dicto c. *Quia circa*, de Consang. et affin., dicens: *Si talis est gratia, qua tacita, vel expressa, vel non existente, Papa gratiam non concessisset, tunc vitatur.* Et idem sentiunt Glossa et Joan. Andr. ibi allegati ab ipso, nec dissentiunt alii supra citati. Idemque sumitur ex eodem Panorm. in capit. *Ad aures*, de Reser., n. 5, ubi dicit, si quis impetret beneficium non explicata ejus qualitate, non valere gratiam, etiamsi motu proprio fiat, non propter subreptionem (ait), sed quia non apparet de voluntate Principis. Quæ ratio universalis est ad omnia similia, scilicet, quia motus proprius non firmat gratiam contra intentionem concedentis. Accedit quod illa taciturnitas est quædam virtualis deceptio, quandoquidem ratione illius res non concipitur sicut est, et ratio, quæ movet, in re ipsa non subsistit sicut proponitur.

## CAPUT XIII.

QUÆ SIT SUBSTANTIALIS FORMA PRIVILEGII, SIVE ABSOLUTE, SIVE SUB CONDITIOE AUT MODO CONCEDATUR.

1. *De duplici modo quo solet concedi privilegium sine et cum conditione.* — Secunda pars privilegii supra posita, est illa quæ concessionem ipsam formaliter continet, et ideo maxime videtur (ut dicebam) ad substantiam formæ pertinere. Ad illam vero explicandam, oportet advertere duobus modis solere concedi. Primo, absolute et pure, nullam conditionem vel actionem exigendo a privilegiario, ut effectum privilegii consequatur. Sic conceditur filio illegitimo privilegium legitimationis, vel plebeio privilegium nobilis, vel peregrino privilegium civis, et similia, quæ princeps concedit, nihil exigens vel requirens ad utendum postea

privilegio. Alio modo datur privilegium sub conditione aliqua, aut modo necessario ad fructum privilegii consequendum, sicut solent concedi indulgentiæ hoc vel illud opus facienti, vel sicut solet concedi facultas absolvendi vel dispensandi imposita tali pœnitentia, vel examinata causa, aut petito consilio vel consensu alicujus, et similibus. Et ita ex usu ipso satis constat utramque formam in privilegiis concedendis observari. Et ratio est, quia uterque modus est possibilis, ut per se notum videtur, et pendet ex voluntate concedentis, et juxta materiæ qualitatem interdum unus expedit, interdum alius. Circa priorem ergo modum nihil specialiter adnotandum occurrit, quia in illo nulla forma præscribitur privilegiario ad utendum privilegio, sed princeps ipse per verba sua, quæ sunt quasi forma privilegii, efficit effectum privilegii, eo modo quo moraliter facere illum potest, talem favorem concedendo, aut auferendo talem inhabilitatem, vel quid simile. Unde, supposita veritate narrationis et justitia causæ, absque ulla surreptione aut deceptione, ex parte formæ tantum est necessaria sufficiens significatio voluntatis concedentis, ut in principio explicuimus.

2. *Notanda circa privilegium concessum conditionaliter.* — Circa alium vero modum concedendi privilegium sub certa aliqua conditione aut modo, nonnulla breviter animadvertenda sunt. Primum est, attente considerandum esse an per illa verba quibus præscribitur modus utendi privilegio, constituatur veluti substantialis forma utendi privilegio, vel solum addatur solemnitas accidentalis, seu onus concomitans fructum privilegii. Nam si forma sit prioris modi, illa non servata non obtinebitur fructus privilegii; si autem sit posterioris generis, violatio ejus non impedit effectum privilegii, poterit tamen esse peccaminosa et sufficiens causa ut quis privetur privilegio quod alias posset durare et in futurum proficere. Utraque pars declaranda est et probanda juxta dicta, in libro 5, de legibus irritantibus actiones in quibus præscripta forma non servatur. Ratio enim quæ in contractibus, testamentis, judiciis, et in quibuscumque mandatis reperitur, in privilegiis etiam militat: nam ita pendent ex voluntate concedentis, sicut mandatum, verbi gratia, ex voluntate mandantis; ergo, sicut forma mandati non servata, si substantialis sit, nihil efficitur, quia deest voluntas mandantis; si vero sit accidentalis, actio facta tenet, licet forte revo-

cari vel puniri possit; ita prorsus dicendum est de privilegio, quia etiam deest voluntas concedentis, si formam præscripsit substantialem, et illa non servatur, quod secus est, quando forma est accidentalis.

3. *Duo consideranda ad cognoscendum an forma privilegii sit substantialis.* — Ad cognoscendum autem an forma sit substantialis necne, servandæ sunt regulæ eodem loco positæ et cum proportione applicandæ. Duo vero præcipue consideranda sunt. Unum est, an onus impositum ad consequendum fructum privilegii sit conditio proprie sumpta, an vero sit tantum modus. Nam si sit conditio, clarum est, voluntatem principis nihil operari, quia solum habuit voluntatem conditionatam, quæ nihil operatur, imo nulla est, non impleta conditione: unde fit ut talis conditio pro forma substantiali ponatur, sine qua res esse non potest, l. *Qui hæredem*, § ult., ff. de Condit. et demonst. Secus vero est quando non est propria conditio, sed modus, quia tunc non est conditionalis voluntas concedentis, sed absoluta, et ita suum effectum operatur statim, licet imponat tale onus vel obligationem in futurum, sicut in testamentis ac legatis commune est, nam est eadem ratio in privilegiis. Unde, ad intelligendum an id quod exigitur sit conditio vel modus, verba consideranda sunt, sicut etiam in testamentis et aliis similibus fieri solet.

4. Præcipue vero est, secundo loco, observandum an opus requisitum in privilegio propter fructum ejus, postuletur ante effectum privilegii, vel post. Nam si priori modo petatur, regulariter pertinebit ad substantialem formam servandam, et est rigorosa conditio, nisi oppositum constet expresse ex verbis privilegii: si vero opus possit sufficienter fieri post usum et fructum privilegii comparatum, non est conditio, sed modus, et pertinet ad solemnitatem vel circumstantiam accidentalem, regulariter etiam loquendo, et nisi verba manifeste obstant. Declaratur exemplo Jubilæi, per quod et privilegium obtinendi absolutionem a reservatis, et indulgentia plenaria post jejunia, orationes, et alias diligentias factas, conceditur: nam quia hæc opera non petuntur ut necessaria ante absolutionem a reservatis, non sunt conditiones necessariæ ad fructum illius privilegii quoad hunc actum ejus, nec pertinent ad substantialem formam servandam ex parte pœnitentis ad illum effectum consequendum, et ideo simpliciter est valida talis absolutio, et rata manet, etiamsi alia

opera non sequantur, ut in materia de Indulgent. et in tractat. de Voto, dixi; respectu vero indulgentiæ, petuntur illa opera ut dispositiones præviæ, et ideo conditionem necessariam continent, et formam substantialem constituunt ad indulgentiam consequendam. Quod fere in omnibus indulgentiis observatur. Eademque doctrina applicanda est ad indulta dispensationum, absolutionum, et similium gratiarum, in quibus dicitur, verbi gratia, ut pœnitentia injuncta detur dispensatio, vel absolutio, tunc enim impositio pœnitentiæ antecedere debet, unde est conditio necessaria, et de substantia formæ; executio autem pœnitentiæ est consequens fructum privilegii, et ideo, licet postea omittatur, non evacuatur effectus, erit tamen grave peccatum, et non evitabitur, donec onus impositum impleatur, si potestas non desit. Huc etiam spectat conditio frequens, quæ in his indultis absolutionum ponitur, ut fiant, satisfacta parte, nam ex vi verborum de præterito, oportet ut conditio prius servetur, alias nihil fiet: an vero interdum sufficiat propositum vel cautio, quando necessitas urget, ex verbis indulti et conjecturata mente concedentis definiendum est.

5. *Standum est proprietati verborum, et non plus exigendum.* — Unde ultimo maxime oportet expendere verba per quæ onus imponitur; nam standum est proprietati illorum, et non plus exigendum quam per verba in rigorosa ac propria significatione, postuletur. Ut, verbi gratia, si datur alicui facultas faciendi aliquid, ut dispensandi, absolvendi, vel puniendi cum consilio alicujus, tunc petitio quidem consilii ad subsistentiam formæ pertinet, quia consilium natura sua est conditio antecedens actum, ut colligitur ex c. *Cum in veteri*, de election., ubi id notant Gloss., Inn. et Panorm., in fine. Idem Panorm., in c. *Ex parte*, de Const. n. 5, et in cap. *Cum olim*, de Arbit., cum Glossa et Host. ibid., sicut etiam de licentia idem dicit per textum ibi in c. *Licet*, de Reg. n. 11. Sic igitur petitio consilii ad formam substantialem pertinet. Non est tamen necessarium sequi consilium, quia hoc per illa verba non exigitur. Quod patet, quia in rigore aliud est postulare consilium, aliud sequi: nam petere consilium per se est utile ad inquirendam et inveniendam veritatem, quia collatio plurium judiciorum multum confert ad veritatem inveniendam, ut sumitur ex leg. *Si aviam*, c. de Ingen. manumiss., et l. *Dubium*, c. de Repudiis. At vero ob eandem

rationem, sequi consilium non semper est necessarium, et sæpe neque utile. Ex vi ergo illius formæ solum requiritur consultatio, non sequi consilium.

6. Nec refert sive dicatur cum consilio, sive de consilio, sive ex consilio, quia hæ dictiones in præsentia quasi synonymæ sunt, et non magis per unam importatur necessitas sequendi consilium, quam per aliam, ut notavit Bart. in lib. 1, § *Si plures*, ff. de Exercit. action., n. 4 et 5. Secus vero esset si diceretur, hoc fiat secundum consilium, vel juxta consilium, vel prout visum fuerit Petro, tunc enim clare imponitur onus non solum petendi, sed etiam sequendi consilium alterius. Idemque erit si in forma concessionis detur facultas faciendi aliquid de, vel cum consensu alterius: tunc enim non sufficit consilium, sed necesse est ut etiam iudicium accedat, quod sequi tenetur qui vult uti privilegio, alias nihil faciet, quia non servat substantialem formam. Consensus enim ad alterum relatus dicit conformitatem cum illo in affectu, vel in iudicio. Dico *ad alium relatus*, nam ut dicit tantum relationem ad aliam potentiam ejusdem operantis, est actus voluntatis inclinantis se ad id quod per intellectum indicatum est, ut tradit ex Damase. D. Thomas 1. 2, quæst. 15, art. 1. At vero, quando ponitur in forma privilegii vel mandati, dicit relationem ad alium, et concordiam duorum in eodem sensu, potestque fere indifferenter referri ad conformitatem cum iudicio vel voluntate alterius, quia quod alter vult, id practice iudicat esse faciendum; et ideo, cum consensus requiritur, conformitas hæc necessaria est, alias nihil fiet ex defectu substantialis formæ, ut, præter doctores allegatos, notant Glossa, in cap. *Si pro te*, de Rescript. in 6, verb. *Assensu*, et in c. 1. Ne sed. vacan., in 6, et Glossa per textum in c. *Obeuntibus*, 63 dist., et in c. *Cum in veteri*, de Election., n. 12, et cap. 1 de His quæ fiunt a Prælat., n. 3; Feder. Senen., cons. 1, n. 4; Felin., in c. *Ex parte*, de Const., in princ., cum aliis quos refert. Ad hunc ergo modum alia verba concessionis expendenda sunt, ut proprietas eorum teneatur.

## CAPUT XIV.

AN DE RATIONE PRIVILEGII SIT UT PER FORMALIA VERBA JURI COMMUNI DEROGET.

1. Tertia pars supra posita, quæ in privilegiorum indultis sequi solet post formam con-

cessionis, est clausula revocatoria *Non obstantibus*, etc., quæ videri potest non esse de substantia privilegii, cum post consummatam formam et concessionem subsequatur. Hinc ergo grave dubium circa hoc occurrit, an sit de necessitate et valore privilegii, ut in eo fiat expressa derogatio illius juris, cui privilegium fuerit contrarium. De quo varie loquuntur juristæ, ut videre licet per Bart. in Extravag. *Ad reprimendum*, in fine; Bald., de Pace Constant., § *Libellarie*; et Felin., in c. *Nonnulli*, de Rescript., n. 19 et sequent. Duæ vero sunt opiniones præcipuæ. Prima affirmat necessarium esse ut derogatio expresse fiat; tenet Panormit. in c. *Nonnulli*, de Rescript. Idem sentit Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 9, d. c. 3, cum quadam limitatione, *quia si privilegium sit contra legem, debet* (inquit) *illius facere mentionem, nisi proprio motu concedatur*; citat Bartol. in l. *Vacuat*, c. de Decur., lib. 10, ubi non loquitur de privilegiis principum, sed de rescriptis immunitatum ab oneribus realibus et personalibus quæ civitates possunt concedere, de quibus alia est ratio; et de eisdem videtur loqui Sylvest. Eundem Bart. adducit Panorm. in leg. ult., c. Si contra jus, ubi plane requirit hanc clausulam, *non obstante quacumque lege in contrarium disponente*, et loquitur aperte de privilegio, quidquid Felinus dicat. Et idem sentit ibi Alexand. in scholio, in quo multa de hac materia congerit: citatur etiam Glossa in Authent. Hoc inter liberos, c. de Testam. et in Authent. Quibus mod. nat. effic. sui, § ult. Sed prior loquitur in generali rescripto, alia de dispensatione, quæ magis favet. Allegatur præterea c. *Ex parte*, juncto cap. 2, de Stat. Monach. Ac denique adjungitur conjectura, quia talia privilegia contra jus regulariter emanant ex nimia importunitate, et ideo non censetur princeps velle derogare juri, nisi illud exprimat. Hinc consequenter dixit Panormitanus privilegium concessum contra prius privilegium insertum in corpore juris, non valere contra illud, nisi faciat expressam mentionem illius. Ita habet in capitulo primo de rescriptis, quia de privilegio inserto in corpore juris, idem iudicium fertur, quod de ipso communi jure.

2. Contrariam nihilominus sententiam indicat Glos. in c. 1 de Const., in 6, verb. *Noscatur*, eamque communem esse testatur Fel. in c. *Nonnulli*, de Rescript., regula 2, fallen. 2, n. 11, ubi adducit Hostiens. in Summ., tit. de Rescr. § *Quas vires, vers. Sed potest dis-*

*tingui*; item refert Joan. Andr., Card. et alios. Idem sentit Martin. Lauden., tract. de Privil., quæst. 41 et 42; Archid. in c. *Rescripta*, 25, quæst. 2; Bald., in l. *Item lapidi*, ff. de Rer. divis., n. 8. Fundamentum est, quia privilegium ex ratione sua habet esse contra jus commune, in quo differt a rescripto, ut supra visum est; ergo princeps concedens privilegium, eo ipso, et quasi intrinsece (ut sic dicam) vult derogare juri communi; ergo non est necesse ut in forma privilegii hoc exprimat; nam princeps præsumitur scire jus commune, juxta c. 1 de Const., in 6, et ideo non præsumitur dare privilegium ex ignorantia juris: ergo dat illud derogando juri communi, licet hoc non exprimat.

3. *Nota pro resolutione*.—Pro resolutione, distinguendum censeo tam ex parte privilegii quam ex parte juris communis, cui repugnat. Privilegium enim tale esse potest, ut possit habere effectum vel utilitatem aliquam absque derogatione juris communis, licet possit habere majorem derogando illi, vel potest esse tale ut nullam prorsus utilitatem afferat, si juri communi non deroget aliqua ex parte. Jus etiam commune potest esse in duplici differentia, unum simpliciter et pure disponens sine aliqua derogatione, vel resistentia directa, ut sic dicam, contra privilegia; aliud esse potest qualificatum, quia, ultra præceptum, vel prohibitionem quam ponit, addit revocationem omnium privilegiorum tali legi repugnantium, vel ut contra illam nulla privilegia prævalere possint.

4. *Mens auctoris*.—Dico ergo, si privilegium possit effectum vel utilitatem habere sine derogatione juris communis, non habet vim ad derogandum illi, nisi hanc extensionem expresse ac formaliter contineat. Hanc assertionem sumo ex c. *In his*, de Privilegiis, ubi in primis reprobat quædam restricta interpretatio cujusdam privilegii, per quam inutile reddebatur; deinde vero additur ita esse interpretandum, ut privilegiati aliquam inde gratiam consequantur, et tandem adjungitur, *dummodo ab aliis quæ jure parochiali prove-niunt, prorsus abstineant*. Ex quo textu omnes colligunt privilegium quod uni juri derogat, non esse extendendum contra alterum, si citra læsionem alterius potest suam habere utilitatem; idemque sumitur ex c. *Patentibus*, eodem: ergo, pari ratione, si absque derogatione alicujus juris potest salvari utilitas privilegii, non est credendum derogare juri cuius expressam mentionem non facit. Et idem

sumitur ex c. *Ut privilegia*, eodem. Intelligendum autem hoc est de effectu et utilitate privilegii sufficiente ad explendam proprietatem verborum ejus, quia hæc semper attendenda est et servanda, ut tradunt jura in principio allegata. Exemplo res declaratur: si aliquod privilegium datur ad commutanda vota, intelligitur cum æqualitate, quia illa verba sufficienter explentur per commutationem in æquale, ideoque non potest illud privilegium extendi ad inæqualem commutationem, quæ juri est contraria. Neque contra hanc assertionem procedit ratio secundæ opinionis. Quia licet privilegium stricte sumptum sit contra jus, tamen cum proprietate etiam dicitur de concessione ultra jus, et de quolibet gratia et beneficio principis, ut sæpe dictum est cum Baldo in prælud. Feud., num. 18 et aliis. Ideoque si sub hac significatione sufficienter salvatur utilitas et proprietas verborum ejus, sine derogatione alicujus legis communis, non est ad illam extendendum, quando illam non exprimit.

5. *Secunda conclusio*.—Secundo, dicendum est, quando privilegium esset inutile non derogando in re aliqua juri communi simpliciter disponenti, validum esse, et illud derogare etiamsi illius mentionem non faciat, neque in specie (quod est longe certius), neque generatim, ut dicendo, non obstante quacumque lege, vel quid simile. In hoc sensu loquitur secunda sententia, quæ efficaciter ipsius ratione probatur, quia privilegium tale concedens derogat legi in actu exercito, ut sic dicam, et cum sufficienti voluntate fieri præsumitur, quia princeps non ignorat jus commune; ergo non est necesse ut illa intentio concedentis declaratur formaliter, seu in actu signato. Probatur consequentia, quia neque ex natura rei est necessarium, neque ex dispositione alicujus juris positivi, neque etiam ex usu. Quod satis videtur etiam probari ex dicto cap. *In his*, ubi privilegium datum Minoribus ad celebrandum in altari portatili, declaratur esse intelligendum sine licentia episcoporum, licet hoc in ipso privilegio formaliter non contineatur, ut in textu clare supponitur, quia derogatio juris communis quoad illam partem satis continebatur in actu exercito in ipso privilegio quod sine illo esset inutile, et ideo non fuit necessaria in actu signato. Nec obstabit si quis dicat in nomine privilegii non sufficienter contineri derogationem illam in actu exercito, quia non oportet ut privilegium deroget juri, ut proxime dicebamus. Responde-

tur enim, quando concessio talis est ut nisi deroget juri sit frivola et nullius utilitatis, et illa fit sub nomine privilegii, tunc necessario intelligi superiorem loqui de privilegio riguroso et derogante juri, quantum necessarium fuerit ut concedentis voluntas impleatur. Imo existimo idem esse etiamsi sub nomine gratiæ vel favoris concedatur, quia etiam privilegium rigorosum est gratia et favor, et tunc generica verba, ex materiæ qualitate et intentione loquentis, determinantur ad talem speciem gratiæ vel favoris, quia beneficium principis late est interpretandum, cap. *Olim*, de Verbor. significatione; ergo multo magis ad illam speciem est trahendum, quæ necessaria fuerit, ut non sit illusorium; esset autem illusorium si esset inutile. Confirmatur, quia privilegium est quædam lex privata; ergo ita ferri censenda est ut valeat, non ut pereat, sicut, in specie, de privilegio dicitur in cap. *Inter dilectos*, verbo *Ceterum*, de Fide instrument., ubi Gloss., et in dicto c. *In his* alia jura referunt.

6. *Tertia conclusio.*—Tertio, dicendum est: si jus commune sit qualificatum per specialem clausulam resistentem privilegiis, seu derogantem, et revocantem illa, necesse est ut in forma privilegii fiat mentio talis juris, vel in specie, vel sub clausula generali sufficiente ad derogandum illi juri sic fortificato; alias privilegium non valebit contra illud jus, etiamsi reddatur frustraneum et invalidum. Hanc assertionem ponit Felinus supra limitando superiorem assertionem; in illius tamen probationem solum adducit Cardin. in Clement. 4 de Censib. q. 3. Idem sumi potest ex Bart., in Extravag. *Ad reprimendum*, § *Non obstantibus*, n. 4. Ratio reddi potest, quia plus necessarium est ad derogandum legi firmiter stabilitæ, quam aliis communi modo latis, et quia clausula derogatoria addita priori legi aliquid operari debet; ergo saltem hoc operatur, ut non tam facile derogetur tali legi per privilegium simpliciter concessum. Item juxta hanc assertionem posset intelligi prior sententia, et cap. *Rescripta*, 23, q. 2, quæ est lex Codicis, tit. de Precib. Imper. offer., dicens: *Rescripta contra jus elicta ab omnibus iudicibus præcipimus refutari*. Nam, licet intelligi possint hæc verba de rescriptis ad lites, tamen Archid. de privilegiis intelligit, et de se generalia sunt; possunt autem optime intelligi de privilegiis quæ sunt contra jus expresse resistens, et refutans similia privilegia; sicut supra dicebamus illa privilegia esse proprie

contra Concilium Tridentinum, quæ sunt contra leges Concilii habentes clausulam derogantem expresse talibus privilegiis. Sed obijci potest contra hanc assertionem ratio facta pro præcedenti, quia tunc privilegium principis esset inutile, et nullius valoris, quod est contra principia juris ibi allegata. Respondeo negari non posse quin in multis casibus privilegia etiam a principe concessa possint esse inutilia ob aliquem defectum substantialem; unde non potest hoc esse contra principia juris, quod beneficia principum permanentia esse debent, et late interpretanda, et similia quæ intelligenda sunt quatenus secundum rectam rationem et alia principia juris sustineri possint. In illo ergo casu, concedo in tali privilegio esse substantialem defectum, et ideo inutile esse, sibi que imputet, vel qui impetravit, quia non satis declaravit legis resistentiam, imo præsumitur subreptionem aliquam commisisse, vel etiam sibi imputet qui concessit, quia non satis voluntatem suam explicavit; nam eo ipso præsumitur illam non habuisse, neque ex certa scientia, et plena advertentia tale privilegium concessisse.

7. *De conjectura Panormitani, et quando habet locum.*—Atque ita in specie hujus assertionis habet locum conjectura Panormitani, quod præsumitur princeps, quando hoc modo illa concedit privilegia, per importunitatem, et consequenter per inadvertentiam, illa concessisse. Secus vero est, juxta tenorem præcedentis assertionis, quia cum morale et regulare sit ut privilegium aliquid concedat contra ordinarium jus, nulla inde præsumptio sumitur, quod princeps aperte concedens privilegium, per importunitatem aut incogitantiam, contra aliquod jus simplex et ordinarium illud concesserit: imo potius præsumitur illud non ignorasse, et nihilominus privilegium contra illud concedere voluisse. Solum ergo superest ut respondeamus ad c. *Ex parte*, ad quod aliqui respondent illud privilegium fuisse contra legem Concilii, et ideo non valuisse sine clausula expresse illi derogante, ut *non obstante*, etc., quia lex conciliaris habet hoc privilegium, ut virtute censeatur habere clausulam resistentem futuris privilegiis, etiamsi illam non exprimat. Sed contra hoc est, quia ad summum hoc procedit in conciliis generalibus. Concilium autem Lateranense, sub Alexandro, cui privilegium illud repugnabat, generale non fuit. Quod si dicatur æquiparari in hoc generalibus per assistentiam Papæ et multitudine Episcoporum qui illi interfuerunt, hæc

profecto nimia ampliatio est illius regulæ. Eo vel maxime quod nec de legibus conciliorum generalium est solidum illud principium, quando illæ leges non habent expressam clausulam repugnantem privilegiis, ut supra visum est, et specialiter dictum est de decretis Concilii Tridentini. Unde aliter respondet supra Felin. cum Innocent., ibi non reprobari privilegium, tantum quia non faciebat mentionem legis Concilii, sed ratione materiæ, quia videbatur esse parum consentanea bonis religiosorum moribus. Unde cum esset etiam contra jus, et illius derogationem non contineret, suspicionem surreptionis generabat, et nihilominus non tanquam invalidum aut surreptitium rejectum est, sed a Pontifice fuit revocatum tanquam minus conveniens. Et ita potest ille textus potius in contrarium, et pro nostra sententia induci.

8. *Quando prævalet privilegium contra prius privilegium insertum in corpore juris.*—Ex quibus consequenter sequitur privilegium concessum contra prius privilegium insertum in corpore juris, prævalere contra illud, etiamsi specialem mentionem illius non faciat, dummodo in privilegio priori non sit specialis clausula resistens contrariis privilegiis. Hoc corollarium est contra aliud Panormitani, et sequitur ex eodem fundamento, quia de privilegio inserto in jure communi idem fertur iudicium quoad scientiam, vel ignorantiam, quod de ipso jure communi, ut ipse Panormitanus assumit, et tradunt Host. et Joann. Andr. in c. *Ex parte*, 1, de Decim.; ergo regulæ datæ de jure communi procedunt etiam de privilegiis in ipso insertis. Sicut ergo præsumitur princeps concedere privilegium ex certa scientia contra jus commune, ita etiam debet præsumi de privilegio juri communi inserto. Et ita sentiunt communiter juris canonici interpretes in dicto cap. 4 de Rescript., et sumitur ex Glossa in c. *Ut circa*, de Elect. in 6, verbo *Corporali*; et Domin. ibi, et aliis relatis a Fel. in dict. c. 4, n. 41 et 42; qui omnes docent contrarium esse dicendum de privilegio particulari extra jus commune existente, nam contra illud non prævalebit privilegium posterius, nisi clausulam *Non obstante*, vel similem derogantem contineat, ex eodem fundamento cum proportionem applicato, quia tale privilegium nullo modo pertinet ad commune jus, sed vel ad factum, vel ad jus privatum, quod princeps facile ignorare præsumitur, juxta cap. 4 de Constit., in 6; et ideo non censetur princeps habuisse voluntatem

derogandi illi, quando id sufficienter non declarat. Et eadem ratione idem dicendum est de jure acquisito tertii, quia etiam præjudicium illud ad factum pertinet, quod princeps ignorat, et ideo non præsumitur velle illud nisi expresse declaret, et ideo privilegium non operabitur cum tali præjudicio. Limitandum tamen est, nisi materia privilegii talis sit, ut intrinsece secum afferat præjudicium hujusmodi: tunc enim non habet locum præsumptio ignorantia, ut constat. Tamen in eo casu limitandum est privilegium, ut noceat quam minimum fieri possit. Quæ doctrina sumitur ex c. *Super eo*, de Offic. deleg., adjuncta Glossa ibi, verb. *Intentionis*, cum his quæ ibi notantur a doctoribus, et ab Abb. in cap. pen. de Cler. non resid.; Felin. in d. c. *Cum nonnulli*, in reg. 2, fallen. 2, in fin., et fallen. 4, limit. 2, ubi plures alios allegat, et infra tractando de interpretatione privilegii aliquid addemus.

## CAPUT XV.

## DE FORMA PRIVILEGII QUOD VOCATUR AD INSTAR.

1. Quæ hactenus diximus de forma privilegii communia fere sunt omnibus privilegiis; nunc vero explicandæ sunt nonnullæ speciales formæ concedendi privilegia, et in primis occurrit illa a qua solet aliquod privilegium *ad instar* appellari; quia nimirum unum privilegium per similitudinem vel æquiparationem ad aliud alicui prius datum, alteri conceditur. Unde, ut clarum supponimus esse possibilem hanc privilegii formam, tum quia non solum res, sed etiam nomen sumitur ex l. *Omnia*, 34, c. de Episc. et cler., tum etiam quia per se videtur res manifesta. Nam (ut diximus) de ratione privilegii tantum est ut princeps sufficienter declaret voluntatem suam, potest autem illam declarare, vel specialiter omnia explicando, vel uno verbo generali, cum relatione ad aliud in quo omnia distincte continentur. Nam et ad præceptum, et ad testamentum vel donationem, imo et ad ipsam sacramentalem confessionem potest sufficere hic relationis modus, ut si poenitens uno verbo se accuset de omnibus quæ cum sacerdote extra confessionem communicavit. Et hoc etiam confirmat usus, ut patet ex cap. 2 de Privil. in 6, ubi, licet non ponatur expresse particula *ad instar*, ponitur æquivalenter per particulam *talibus*, et per particulam *sicut illi*: simile exemplum est in leg. *Ad similitudinem*,